RAYMVNDI GVARINII

SOCIET. BORBONICAE. $\overline{XX}$VIR.

IN COMM. SVVM V.

EXCVRSVS CRITICVS.

NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1841.

IOSEPHO CEVAE GRIMALDIO

V. Cl. MARCHIONI PETRAE CATELLAE

MINISTERIO A SANCTIORIB. REGNI CONSILIIS PRAEPOSITO

RAYMVNDVS GVARINIVS S. D.

Vixdum absoluta elucubratione hac qualicunque, in mentem venit Mecoenatis, de quo ne cogitare quidem ante constitueram. Ecquid enim, aiebam, Mecoenate illi opus, quae nisi per se talis suis solide constiterit, frustra ab hoc, sit quivis licet, et quantivis, auxilium praestoletur? Sed haec inter fluctuanti hoc animo succurrit: in re difficili, novitatisque plena, non Mecoenate quidem, qui ipsam

tueatur, sed lectore tamen egere erudito, laborisque patiente, multoque magis aestimatore idoneo, qui de illa recte iudicet. Quandoquidem, ut dicamus ingenue, quod res est: in ea incidimus tempora, in quibus plerique de omnibus sibi sumunt arbitrium, non in iis tantum, quae fortasse nomine tenus norunt, sed in iis etiam, de quibus vix fando audierunt.

Tale est aes *Osco-lucanum* ὀπιστογραφον, quod tabulas iuxta Heracleenses asservatur in Regio Museo, quodque iam ab anno usque 1820 duplici Commentario, IV. videlicet nostro, et V. ornaveramus. Nunc praebita ex inopinato occasione, partem aeris posticam retractare aggressi sumus, in qua demum Claudianum de *re macellaria* plebiscitum, re maturius perpensa, deprehendimus. Periculosae sane opus plenum aleae, nec facile manu quavis tractandum, nec cuiusvis iudicio permittendum.

Paucos inter, qui in hoc negotio lectoris una, iudicisque muneri pares vibantur, Tu mihi primus menti occursasti. Ergo, si lubet, Vir clarissime, munusculum aequo animo suscipito, quod nisi voluptatis aliquid tibi sit allaturum, occasionem certe praebebit remittendi tantisper a curis gravioribus, quibus iam dudum sine intermissione distineris. Vale.

Neapoli Non. Februar. anni 1841.

§. I.

EXCVRSVS OCCASIO. AERIS LVCANI FATVM, PROVT IN MVSEO NVNC BORBONICO ASSERVATVR.

Curis hisce alteris nostris in aeris Oppidensis partem posticam occasionem eo opportuniorem, quo minus expectatam, praebuit nupera in idem Henrici Franchinii elucubratio, Romae edita proxime elapso anno. Qui Commentarii nostri V iam ab anno usque 1820 vulgati, ignarus (hanc enim de se ipse opinionem praebet) primus omnium in arenam hanc descendisse, sibi visus est, Societatem nostram Borbonicam suggillans, quasi si rem tantam hactenus neglexerit, ignavia-ne, an imperitia magis, quis dixerit? Diariorum profecto illa prudenter neglexit ampullas, psittacorum de more verba non sua referentium. Quid autem Franchinio faciemus, qui Volscorum in primis linguam adeo reconditam, et abstrusam praesumit, ut apud romanos paroemia increbuerit: *Qui Osce, aut Volsce fabulantur: nam latine nesciunt*? Et conti-

nuo commentatur ipse de suo: *ac si ignotum sermonem indicarent.* Locus e Festo relatus Titinii est, cuius vim non attigit Franchinius. Non enim de ignorantia volsci, oscique sermonis apud romanos queritur Titinius, sed quod osca, volscave dialecto fabulae scriberentur, quae scribi elegantius latine potuissent. Fac enim, *ignotas* fuisse, *reconditasque* ea tempestate utramque hanc dialectum: ecquibus tandem *ignotae* hae fuissent? Non fabulatoribus; nam quî *osce*, *volsceque* hi fabularentur, qui osce, volsceque nescirent? romanae ergo plebeculae ignota fuisset utraque dialectus; plebeculae, inquam, in cuius gratiam hae potissimum fabulae edebantur, quaeque illi propterea narrarentur, ut surdo fabella asino. Sed haec missa facimus, de quibus abunde alibi. Hoc Societati sane iniuriosum: *volscum*, addit, *sermonem cunctos pene eruditos latuisse, et Herculanenses ipsos Academicos, qui exemplar huiusce insignis monumenti ediderunt. Sed nemo est suarum rerum aptus aestimator.* Scilicet hoc uni reservatum Franchinio, qui in *res alienas tam cernit acute!* Sed e diverticulis in viam.

Franchinius *Dissertationis Isagogicae* inhaerens vestigiis, aeris partem, qua de agitur, *volsce* incedere asserit, asseruisse contentus. Atqui lu-

cano, idest *Osco* strictius ore, illud loqui, iam tum solide eviceramus, cum e loco, ubi illud delituerat, quod *Oppidum* in Lucania audit, tum ex iniecta in eo saepius *Sansae*, *Bansaeque* mentione, qui Lucanorum ambo *pagi* perstant adhuc prisci nominis tenaces. Quo inducti indicio conieceramus, quod post certissimum comperimus, *Bansam*, *Sansamque* fuisse aliquando vinculo aliquo cum *Oppido* coniunctas, et quod *Oppidum* deinde nuncupatum, fuisse antea *Castrum* dictum. Ex quibus illud demum consequitur, plebiscitum aeris nostri, ex romano autographo descriptum, fuisse aeri oppidensi commendatum in *Castri*, *Bansae*, *Sansaeque* communem usum.

Nec his unis contenti, laminam vere Veliternam Musei quondam Borgiani, quam primus omnium Lanzius exposuerat, et ipsi resumpsimus in commentario nostro primo, hoc potissimum consilio, ut collatis inter se utraque dialecto, quisque intelligeret, non minus lucanam a volsca distare, quam aera, ut aiunt, lupinis. Quae omnia miror Franchinio prorsus incognita.

Sed memini, cum anno proxime antecedenti Salernum ad aliquot dies, de more, divertissem, me ab amicis saepius admonitum, extare illac, qui in eo erat, ut nostra haec refelleret. Quod non tantum

non aegro, sed laeto animo accepimus, plane confidentes, nos in re perplexa, etsi non certa, probabiliora tamen edocendos. Atqui haec cum demum praestiterit utcunque vir doctus, eccur de nobis, nostrisve ne verbum quidem unum? Profecto non ea id mente factum putarim, ut opinionem proeberet eruditis, se in stadio hoc decurrendo primum omnes antevertisse, quo quid puerilius, porroque incertioris exitus? Sed fortassis hoc potius consilio factum, ut ne in nostris legendis, refutandisve oleum se, et operam perdidisse, profiteretur. Quae omnia ἱστορικῶς relata fraudi, invidiaeque esse nolumus viro erudito, cui ex adverso est, quod gratiam in hoc habeamus singularem; quando illius periculo pervidimus, pleraque commentarii nostri V in melius esse recudenda, quorum iam pridem taedebat, quaeque retractandi et tempus, et occasio defuerant. Et fuit, quod res est, commentarium illud prima veluti nostra in osco ludo velitatio, in quo nemo quaesierit rude donandum, donatum multo minus. Bene multa deinde delata ad nos, vel per nos conquisita τὰ osca κειμήλια, partim edita, partim edenda propediem, quorum nullum, quoad per vires licuit, indotatum dimisimus, aut erimus posthac dimissuri aliquando.

Quae inter eminet aes Rapinense nuperrimum de *re* vere *pascuaria*, quoque nihil similius aeris nostri Oppidensis, cum romanis utrumque insculptum sit literis, et a laeva dextrorsum utrumque procedat. Notari in primis in his merentur literae G, et O, quarum prior inducta in alphabetum romanum a Praetore Carvilio an. V. C. 550, alteram communem olim censuimus Eugubinis iuxta, ac Lucanis, Latinisque. At Lucani, *Hirpinorum* suboles; hi *Samnitium*; Samnites, *Sabinorum*, uno verbo *Osci* omnes, qui litera O penitus carebant. Ergo literam hanc tunc primum a romanis mutuati Maruccini sunt, et Lucani, cum utraque dialectus sensim sine sensu invicem fundebantur. Sed praeter binas has literas communes utrique aeri, in tabula Oppidensi conspicuum se dat digamma aeolicum Ϝ, et character †, quod quale sit, loco suo videbitur. De Claudio interim haec pro re praesenti satis esto ex Tacito (1) exscribere: *Claudius tres literas adiecit, quae usui, imperitante eo: post obliterata. Aspiciuntur etiam nunc in* AERE *publicandis* PLEBISCITIS, per FORA, *ac* TEMPLA *fixo.* Verum de his alibi opportunius. Pauca modo de aeris lucani statu,

(1) Annal. Lib. XI. Cap. 14.

quale ab an. iam 1794 in regio museo asservatur tabulas iuxta Heracleenses, Maittairii in primis, Mazochiique nostri curis celebratissimas.

Tertia sui parte, eoque amplius, imminutum. Desunt duo ad minus versus priores. Desiderantur et aeris versus postremi; quique his proximi, dextra, laevaque, non aequis intervallis, utrimque multati. Eorum, qui supersunt, etsi spatiis imparibus, nullus integer dextrorsum. Quo nescio casu, aeris frustulum disperiit, continuandum cum v.6.7.et 8 a parte dexteriori post hiatum pollicum duorum. Sexti hoc reliquum: MVR. septimi: NVDAM. Octavi denique: OVTAD. Quamobrem si quis aeris totius integram, continuamque sententiam polliceatur, is frustra omnino erit. Transigenda res frustillatim est per τας περιοχας enatantes, constitutoque ante plebisciti argumento, veluti τῇ τῆς μεταξης κεφαλῃ, quid huic consentaneum, aut secus, extundi queat, sedulo inquirendum.

§. II.

PLEBISCITI DE RE VESTIARIA PARTIS AERIS ANTICAE COLLATIO CVM PLEBISCITO AERIS EIVSDEM PARTIS POSTICAE.

Plebiscitum de *re vestiaria* partis aeris anticae, et de quo prolixe in commentario nostro IV, sine cunctatione ad ea Reip. tempora reiecerim, quorum severitate res romana stetit, diuque in melius semper provecta est. Nec dubitarim, συγχρονον illud asserere, aut fere, legibus Orchiis, Fanniisque *sumptuariis*, fortassis etiam antiquius. Adeo non argumenti tantum gravitate, sed stilo, formulis, orthographia, verbisque singulis, ἀρχαικῶς omne procedit! Sed tamen a lucanis illud non ante receptum, suoque aeri commendatum, quam fundi facti populi romani in horum leges iurassent, quae omnia bellum consecuta sunt sociale. Aetate nihilominus longe praeit plebiscito partis alterius, quod certo certius constat, Claudianamque intra tempestatem esse concludendum. Versu siquidem 8. palam se dat digamma aeolicum Ⅎ, et v. 26. litera T adspirata, seu Θ, in forma ┼, ut mihi persuasum est. Quae literae, ut supra praemonitum est, a Claudio imperante primum indu-

etae, ipso e vivis sublato, morari ultra in romano alphabeto non sustinuere. Quae tamen *in* AERE *publicandis* PLEBISCITIS *per* FORA, *et* TEMPLA *fixo* iam insertae, perennarunt, perennantque adhuc, si qua generis huius, tempestatisque illius monumenta incurrimus.

Nec reponat quis, *plebiscitum* quidem, Claudio imperante, aeri insculpi curatum, quod latum ante fuisset. Cum enim lucani iam tum a bello sociali in leges romanas iurassent, eccur hoc unum tam sero recepissent, suoque aeri consignassent? Quid, quod plebiscitum omne et Claudianum sapit ingenium, et ad Claudium ipsum auctorem omnino referendum? De Claudio, qui maximus in minimis, minimus in maximis, praesertim in re sua domestica, memoratur (1), et *annonae* sedulam curam egisse, et *cauponas* evertisse, et vetuisse, ne *caro cocta*, aut *aqua calida* venderetur, atque in eos, qui non obtemperarent, animadvertisse. Quod et Nero post imitari adfectavit, de quo sic Xiphilinus (2): *Nero omnem fere vitam degebat, in popinis, vetuitque, ut nihil in eis coctum aliis hominibus, praeter olera, et legumina, venderentur.* Qui-

(1) Xiphil. in Claud.
(2) In Neron.

bus se curis egregie Claudius primum plebi commendavit, eoque deinde in his superstitionis progressus est, ut Suetonio referente (1), uno die viginti edicta proposuerit, inter quae duo: *quorum altero admonebat, ut uberi vinearum proventu bene* DOLIA PICARENTVR; *altero, nihil aeque facere ad* VIPERAE MORSVM, *quam* TAXI *arboris succum.*

Plebiscitum praeterea partis aeris anticae verbum verbo ex autographo descriptum, ipsoque romano idiomate, extat aeri lucano religiose commendatum. At *plebiscitum* ex adverso partis alterius, non verbum verbo redditum, sed summarie dumtaxat expressum, etsi latinis characteeibus, romanoque incessu, sed vernacula tamen lucanorum dialecto, exponitur. Quidnam hoc discriminis, rogabit quis? Plebiscitum, aio, de *re vestiaria*, cives attinuisse romanos, hosque ordinis utique praestantioris, quibus romani sermonis usus perfamiliaris erat, et quem ignorasse, periculosum erat. Dion certe, et Suetonius diserte referunt de viro splendido, Lyciorum legato, cui Claudius civitatem ademit, quod latine interrogatus, non satis se huius gnarum prodidit, *eum, addens, qui non haberet huius linguae scientiam, non o-*

(1) In Claud. Cap. XVI.

portere, *civem romanum esse* (1). At *plebiscituum* contra partis aeris posticae tunicatum in primis spectabat popellum, cuius intererat, in re sua, sine mora, aut interprete, intelligere, quid legi consentaneum foret, quid secus. Quid, quod et lex haec, romana licet, in pluribus erat Municipum usibus, circumstantiisque adcomodanda? Prius ergo plebiscitum κατὰ τὸ ῥέθον de autographo exceptum aeri fuerat sancte consignandum: posterius oppositis de causis per summa capita expositum osco fuerat idiomate civibus proponendum.

§. III.

DE CASTRO, SANSA, ET BANSA.

Quod nunc *Oppidum* audit in Lucania, ubi aes nostrum delituit ad secula XVII. ultra dimidium, hoc *Castrum* antea nuncupatum, pro certo habeo, et *castrum* oscis, una et romanis pro *oppido* stetisse. De Castro in aere nostro luculenta commemoratio est ad v. 13. in haec verba: VD. ALTREI. CASTRO. *praef.* VCI. *non alii Castro praefecti.* Haec enim vocis *Praefuci* pote-

(1) Xiphil. loc. cit.

stas, non *profugi*, ut Franchinius interpretatur, estque procul dubio a *praeficiendo*. Constat autem ex Dione (1), *foris praefectos singularum civitatum* fuisse, quod Romae AEDILES. Nec porro lucanorum *Oppidum* uno se aeris nostri nobilissimi nomine, antiquitatis posthac studiosis commendabit. Commendatur illud multo magis Silvani collegio amplissimo, quod ibi olim extitisse, ostendit paucis abhinc annis marmor praestantissimum Domitianeae tempestatis. Quod collegium L. Domitius Phaon, *voto suscepto pro salute Domitiani Augusti*, praediis bene multis splendide locupletavit, aliisque praeterea auxit honoribus, de quibus vide, si libet, alibi (2) per nos dicta.

Castro duo erant *pagi* adiuncti, *Sansa* videlicet, et *Bansa*. Nec enim poenitet, vocem PIS, quae in aere est frequentissima, in *pagi* significationem accipere, unde facile conflatum TRIBVS nomen, quae romanis tertia pars fuit curiarum triginta. Est autem *pagus* a *pangendo*, quod graecis est πεγγυω, quod *oppidum* ex pluribus *pagis* veluti *compingebatur*. Nonne et quae oscis *Pis*,

(1) Xiphil. ex Dion. in Tib. Cap. LVIII.
(2) Var. Mon. con crit. Osserv. 1835.

auribus affine aliquid insinuat graecorum τῇ φυλῇ? Noti *Bantini saltus* ab Horatio celebrati, celebrioresque multo magis *Bantini colles* abs duce chartaginiensi occupati, quo romanis exercitibus strueret insidias, quaeque eidem ex voto ultra votum cessere. De quibus ita Livius (1): *In Apuliam ex Bruttiis reditum, et inter Venusiam, Bantiam, minus trium millium passuum intervallo, Consules binis castris consederunt.*

Castro, prae *pagis* suis, praestantiori, sui erant *Meddices toutici*, quorum unus *Summus*, ut Ennius loquitur, et *alter* a *Summo*. At *Bansae*, *Sansaeque* suus cuique *Prumeddix*, idest *Pro-meddice*, qui nobis *Supplente*. Vt latinis a *Iudice* est *iudicare*, sic oscis a *Meddice* erat *medicare*, et a *Pro-meddice promedicare*, quod utrumque est latinorum *iudicare*. Μεδῶ, μεδομαι graecis est *curo*, unde latinis *Medico* nomen peculiariter adscitum, qui est ἰατρος.

Qui Romae *Censores*, hi apud municipes dicti *Quinquennales*. Oscis *censor* erat *Censtur*, hique bini, aut plures in *oppidis*. Pagis non *censtur*, sed *Pro-censtur*, idest *pro-censore*, seu *proquinquennali*, isque unicus, qui videtur et *Cen-*

(1) Lib. XXVII. Cap. 25.

stomen nuncupatus, quasi *Censoris sectio*, vel *parvus censor.*

Valaemom quoque *touticom* in aere nostro offendimus, quae vox sine controversia *potestatem summam* subindicat, quod *valet*, caeterisque *praevalet.* Sed non propria haec peculiaris magistratus nuncupatio: communem habeo unius *meddicis*, et *pro-meddicis*, ut factum novimus ad vocem *Praetor.*

De *Praefuco*, idest *oppidi*, *pagive praefecto*, iam dictum loco suo. Suus erat *oppidis*, *pagisve Tribunus plebis*, de quo, si deessent caetera, ambigere non sineret aes oppidense, in quo ad v.29. legitur: TR. PL. Hic, teste Budaeo, *Ecdicus* in municipiis dicebatur. *Quaestor* oscis *Quaisstur.*

PON. CENSTVR videtur lucanis fuisse *ponderum censor*, seu *exactor.*

In aere passim voces *comononi*, et *comoni.* Differre has inter se nonnihil arbitror, et prima designari *Castri maiorem universitatem*, altera *minorem Sansae*, vel *Bansae.* Quod si verum sit, desinentiam in *one* ad insinuandam rei cuiuscunque, mole, seu virtute, praestantiam, ab oscis, veluti per manus, nobis traditam, intelligimus. Sic vulgo: *casa*, *casone*: *dottore*, *dottorone*, et sexcenta horum similia.

*

§. IV.

FALSI IN AERIS LVCANI ARGVMENTO STATVENDO, ET AVCTOR COMMENT. V, ET HENRIC. FRANCHINIVS. VERVM STATVITVR.

Pro *municipali* lucanorum lege primum acceperam, eademque *sacrificali*, in quo me utroque deceptum, ingenue profiteor, vineta ipsemet caedens mea. Est etenim *romana* sine dubio, longeque aliud a *sacrificali*. Primum constat evidenter ex formula SENATEIS TANGINVD, idest, *Senatus decreto*, non *susceptore*, aut *exactore*, vel *coactore*, quod Franchinio in mentem venit. Et de voce *tanginud*, qui sextus casus, satis multa, et saepius per nos alibi, ut ne hic actum iterato agamus.

Alterum autem ex verbis illis manifeste elicitur, quae in v. 3. et 7. occurrunt: MAIMAS. CARNEIS, quod quale sit, mox erimus ostensuri, eadem de his confirmantes, quae olim insinuavimus in comm. V. Franchinio *maimas carneis* est: *Maia pascua*, et puto, sic dicta a mense *Maio*. At *carnes* pro *pascuis* usurpare, nisi de re pascuaria muscarum, culicumve agatur, nemo sibi in animum serio induxerit. Quid, quod Oscis

pascua erant PAKRIS, non *carneis*, uti ex aere Rapinensi nuperrimo, proximeque typis committendo, societatis Borbonicae curis? Sed בר Hebraice est *pascuum*. Et *car*, repono, Gallis est *enim*. Quod ideo dico, ut intelligatur, vocum, quae Semiticas prae se ferunt radices, si invicem significationes conferamus, nusquam easdem proprie, strictimque deprehendi, sed vix *αναλογικῶς* inter se, nec nisi per longos itinerum ambitus, convenire. Mihi fere certum, ab *Hevae* nomine, primae mortalium parentis, promanasse et *aevi*, et *veitae*, i.e.*vitae* voces. Idcirco-ne et *veita*, et *aevum* stant pro *Heva?* Stent ergo *carneis* pro *carnibus*, aerisque lucani subiecta res in *rem macellariam* suapte sponte redibit. Voci deinde MAIMAS longe alias petenda originatio est, quam a mense *Maio*. Est enim *απο του μαιμαειν*, quod est *vehementer appetere*, vel contractius ab eo, quod graece *μῶ*, latinis *amo*, una addita *a* prosthetica. *Maimas* itaque *carneis* tantumdem est, ac *appetibiles carnes*, bonas nimirum, salubresque.

Itane, inquis, romano senatui amplissimo *rei macellariae* cura? Plane, aio. Nam ordini huic gravissimo minime grave fuit, in privatarum sese aedium angulos insinuare, quo *caenae* modum,

praescriberet, convivarum *numerum* definiret, *sumptum* taxaret, *vini exotici* inhiberet quaestum, *gallinam*, vix unam, hancque *non altilem*, permitteret. Et reponi ad haec brevius possit: plebiscitum hoc de *ratione macellaria*, etsi senatus auctoritate fulcitum, a Claudio tamen revera profectum, cuius illud ingenio sane adcomodatissimum.

Nec Claudio tantum plebiscitum hoc est tribuendum, sed et ad ipsa Claudianae dominationis initia referendum, cum ille annonae accuratione plebi inserviebat. Et fere non dubito, quin plebisciti titulus qui in aere nostro desideratur, fuerit talis, etsi non verbis, sed sententia tamen.

Lex macellaria, *Tib. Claud. Nerone Aug. II. Cos.* Quod incidit in annum aerae nostrae 42.

Pro re macellaria carnium in primis tum *speciei*, tum *conditionis* habenda ratio. Et ad species quod attinet, non pigeat, eas a Plautino sene audire:

Agninam caram, *caram bubulam*,
Vitulinam, *cetum*, *porcinam*. *Cara omnia* (1).

Quid hic inter *carnes cetum*, quaeret obiter aliquis, cum proxime ante de piscium macello fuis-

(1) Aulul. Act. II. Sc. 8.

set senex conquestus? Nisi id ignoscendum seni tenacissimo in mentis perturbatione, *ceto* fortasse commune cum *carnibus* macellum erat. Sed haec tanti non sunt, ut moram pergentibus facere debeant.

Rationis macellariae primae partes debitae sine dubio *conductori* sunt, caeterae rationis eiusdem pedisequis, *lanio* in primis. Prior ille *deivatuo* dictus, alter *deivatuns*, cuius utriusque vocis eadem origo δηιόω, *vasto*, *perdo*, *occido*. Nec uno modo peccari ab utrisque in legem poterat. Poterat *conductor* carnem pro carne supponere, puta *bubulam* pro *vitulina*; aut servata *specie*, conditioni deesse. Poterat omnino et carnes publice venales non suppetere, in quae omnia non unius generis poenae constitutae, praesertim vero, si in his *dolo malo* peccari contingeret. Pro *conductore macellario*, si quando necessitas posceret, cogebatur *conductoris fideiussor*, *qui vas*, sive *praes*, et in aere audit *Comparascuster*, sic dictus, quasi *compar custos*, quod in *conductionis*, *locationisve*, sive alterius huiusmodi contractus, *praedem*, aut *vadem*, apprime quadrat. *Custos* igitur, et *custodia* oscis, romanis, graecisque communes habendae, nec Schrevelio assentiendum, qui *custodiae* vocem asserit a latinis graecos accepisse.

Poterant multo magis in legem macellariam peccare rationis macellariae pedisequi, qui sine controversia *servi*, qualis in primis *lanius* habendus. Poterat is peccare in carnibus ad legis praescriptum asservandis, in carnis pro carne suppositione, et in ponderum praecipue aequitate.

Hae poenae in *Ingenuos*, legis macellariae violatores. I. Deturbatio de suo, sive *oppido*, sive *pago*, quod exsilii genus quoddam. 2. *Multae*, cum *pecuariae*, tum *pecuniariae*. 3. *Notae censoriae* ad ignominiam. In *Servos* hae. 1. *Vincula*. 2. *Carcer*. 3. *Fustigatio*. 4. *Stigmatum* inustio ignominiosa. Quae omnia, et singula ex aeris versiculis superstitibus, quos ex ordine explicandos aggredimur, confidimus, fore in lucem proditura.

§. V.

AERIS VERSVS OCTO PRIORES EXPENDVNTVR.

1. Finem versus, lineae huius vix enatat hoc: LIKITV. quod est: *licitud*, *liceto*, *liceat*. Imper. mod.

2... MVS. Q. MOLTAM. ANGIT. *Quaestor multam agit.*

Q. Franchinio est *qui*. Est autem *Quaestor* sine

haesitatione, qui osce *Quaisstur*, cuius erat, inferenda in aerarium publicum exigere.

ANGIT. Litera N voci inserta mere epenthica.

3. DEIVAST. MAIMAS. CARNEIS. SENATEIS. TANGINVD. *Caedito bonas carnes, ex senatus praescripto.*

DEIVAST. Franchinio: *dividat.* Atqui ego parum olim abfui a stricta vocis significatione, quam in *consecrandi* potestatem accepi. Est autem a δηιοω, *perdo*, *macto*, unde *deivatuo*, et *deivatuns*, de quibus supra.

TANGINVD. A graeco αγγελων repetit Franchinius, et habet pro *susceptore*, *exactore*, *coactore.* Sed inauditus *susceptor*, sive *exactor*, aut *coactor senatus.* Est ἀπο τοῦ τασσειν, *ordinare*, *constituere.* D in fine vocis mere paragogicum, praesertim in sexto nominum casu, quod semel adnotasse, satis.

4. COMPARASCVSTER. SVAE PIS. PERTEMVST. P. *Fideiussor* (conductionis) *in suo pago carnes caedendas curato.*

COMPARASCVSTER. In duo Franchinius vocem partitur, unde illi prodeunt *comparascus*, et *ter*, hancque ille habet pro *terminis*, illam interpretatur *compascuos.* Atqui una est vox, minime duplex, et nomen est casus recti, ut *ma-*

gister, *minister*, non quartus pluralis. Oscis praeterea *pascuum* erat *pakris*, non *parascus*. Recole adnotata superius in hanc vocem. Quod si consentanea sibi dicere sategisset Franchinius, cum *carneis* pro *pascuis* constituisset, *compascua* dici oportebat *concarneis*, non *comparascuster*. Paucis: evidentem vox adfinitatem prae se fert cum graeco παρασχω, *praebeo*, planeque ad rem opportune: quandoquidem *fideiussoris* officium est, se pro eo *praebere*, quem in fidem suam recepit.

SVAE. PIS. Franchinius: *Si quis*. Ecquid pronomini SVAE cum particula *si?* Vereor, ut haec Franchinius aut scripserit somnians, aut somniantibus scribere, se putarit.

PERTEMVST. Futur. subi. modi. Thema *pertemno*, περιτεμνῶ, *scindo*, *caedo*, *diribeo*. Hinc *pertemem.os* v. 7. particip. *scindens*, *caedens*, quod non recte Franchinius reddit *partem*, quasi vox integra, non mutila sit, ut in aere cernitur. Hinc et PERTVMVM v. eiusdem, quod arbitrio suo bipartitur Franchinius, et interpretatur *pro domo*. Est autem *supini* terminatio, *caesum*, *ad caedendum*.

5. DEIVATVO. SIPVS. COM. *e*. NEI. PERVM. DOLOM. MALLOM. SIOM. IOC. COMO. *nei*. Si

conductor sciens perseverat per dolum malum suum hoc communitati facere.

DEIVATVO. Franchinio: *divisi*, et DEIVATVNS, *divisum*. Vtrumque *officii* nomen, macellariae proprium, de quibus satis supra.

SIPVS. Franchinio: *Canalis ad aquam ducendam*. Nihil minus. Est *sipus sciens*, ex obsoleto *sipio*, cuius composita *adsipio*, *desipio*, *insipio*, *praesipio*. Sanandus idcirco Festi *sibus*, reddendusque *sipus*, in *callidi*, *versutive* significationem.

COMeNEI. Sic infra, quasi *commanet*, *perdurat*. Non bene igitur Franchinius restituit *comonei*. Graecis μενεω, *maneo*.

PERVM. *Per*, et *dolom mallom*, graeca inflexione, ut priscis latinis *Luciom* pro *Lucium*.

SIOM. Franchinio est *si*. Assentior, recteque congruit cum τῆς περιοχῆς sententia. Si placeat *suum*, intellige de *dolo malo*, quem *suum* fecerit *conductor macelli*, cum eiusdem reus agi potuisset et alius eiusdem *rationis pedisequus*.

IOC. Franchinio est *reus* a graeco ἔνοχος. Est *hoc*, vel *id*.

5.. CAS. AMNVD. PANPIEIS. VMBRATEIS. AVTI. CADEIS.

..CAS. AMNVD. INIM. ID. IC.. *Cas agno. Pampineis umbraculis*, *aut cadis agno ibi seorsum* reposito.

..CAS.AMNVD.Franchinio CAS evadit in ECAS, redditque *procul*. Ast vox non integra videtur, sed vocis syllaba postrema, quam eodem iure redderet quis *muscas*, aut *formicas*. Maxima in his erudito lectori *debetur reverentia*.

AMNVD habet pro *Amne*. Est αμνος, *agnus*.

PANPIEIS. VMBRATEIS. *Frondea tabernacula* Franchinio. Sed ampliandum. Vocem dissolvere possis in παμ, et πιεις. Vulgo *pampuglie*, collectanea sectilium diversi generis. Rectius: *pampineis*.

CADEIS. Silet noster. Italis *carratelli*, parvi *cadi*. Non liquida dumtaxat, sed aridas ficus, aliaque huiusmodi, asservari a veteribus consuevisse *vitreis cadis*, aut *figlinis*, ecquis ignorat? Cur ab hac sibi cura pepercerint in carnibus asservandis, quo tutiores, eoque vegetiores, in humanos usus suppeterent venditandae?

AVTI. Redundat I. Ergo *aut*. Si quis pro *uti* mavelit accipere, aut *veluti*, cum hoc ego minime contenderim.

INIM. *Ibi*, *ibidem*.

ID. IC. Franchinio: *irrigent*. Suus *irrigationi*

huic desideratur *canalis*. Sed post: IDIC. MEDICIM est illi *speciales Magistratus*, a graeco ειδικος, *specialis*. Hoc rectius. Est ergo *idic* quasi ειδιῶς, *privatim*, *seorsum*.

7. TANGINVD. MAIMAS. CARNEIS. PERTVMVM. PIEI. EX. COMONO. PERTEMEM.*os*. Ex legis *praescripto bonas carnes ad caedendum facito*, *pro communi* utilitate *caedens*.

PERTVMVM. Vna vox, de qua supra. Gratis in duas dispertit Franchinius, et *pro domo* interpretatur.

8. COMONONI. HIPID. PIS. POCAPIT. POST. POST. EXAC. COMONO. HA ǂ IEAT. MEDDIS. *Pro maiore universitate nihil praecipiat pagus. Statim deinde de sua communitate detrudat Meddix.* De exsilio agitur, quo a Meddice multandus *paganus*, qui in legem macellariam gravius quidquam admisit. Vna poena, eaque gravissima, lex contenta, parcit *multis*, sive *pecuariis*, sive *pecuniariis*, quibus addenda unciae pars quarta in *Castri* utilitatem, ut patebit loco suo.

HIPID. Franchinio est *habeat*, *habeto*. Apage! *Hipid*, quasi *nihil quidquam*.

HA ǂ IEAT. Male *hattieat* Franchinio, quod reddit *adeat*. Lege: *havieat*, *habieat*; *abigat*.

POCAPIT. Imper. mod. quasi *prae-capiat*; *praecipiat*. Franchinio fit *procabit*, *poscet*.

§. VI.

AERIS LINEA NONA AD QVINTAM VLTRA DECIMAM.

9. NEITVAS. FACTVD. POVS. TOVTO. DEIVATVNS. TANGINOM. DEICANS. STOM. DAT. EI.. *Ne vitulas facito post hoc lanius , decretum veritus istud. Dat ei.. Lanio* in poenam, ut ne ultra lanienam exerceat, praecipitur.

EITVAS. Franchinius reddit *commissas* , seu *initas* , repetitque a verbo *eo.* Verum *eitua* , deinde *veitua* , *vitula* , praefixo nimirum digammate aeolico. Sic quae *Italia* , quondam a *vitulis Vitalia* dicta.

FACTVD. ut *licitud* , *facito.*

POVS. TOVTO. *Post hoc.*

DEICANS. Possis arcessere a δει κνυμι , *demonstro,ostendo.* Verius a *dico*, vel *dedico,consecro.*

STOM. Pro *istom* , qui Plautine sapit, minime stomachabitur. *Tanginos* igitur masculini generis. Franchinio STOM est *portionem* a graeco τομῇ.

10. DEICVM. POD. VALEMON. TOVTICOM. TADAIT. EZVM. NEP. PEPACID. POD. PIS. DAT. *Reum agat apud magistratum supremum. Adeat pro tribunali sedentem. Ne paciscatur cum pago. Dat...*

DEICVM. Franchinio *dictum*. Recte a δεικνυμι, verius fortasse a δικῇ.

POD. Franchinio *quod*: Est *apud* cum accusandi casu.

TADAIT. Franchinio *dederit*. Est *adeat*. Prima T prosthetica.

EZVM. Franchinio *ipsum*. Est ab εζομαι, *sedeo*. Vulgo *zezzare*, *azzezzare*, *sedere*, *adsidere*. Formula haec iuridica alteri opposita *de praesenti*, seu *de plano*, de qua infra.

PEPACID. Tabula prae ferre videtur *fepacid*. Vel *fefacid*, vel *pepacid*, ex grammaticorum lege de verborum reduplicatione in praeteritis. Est autem *pepacid* a *pacio*, unde *paciscor*, et *pax*, subiunctivi praeteritum. Silet de voce hac Franchinius.

POD. PIS. Franchinio: *quodvis*. Est *apud pagum*, vel *cum pago*, idest *pagi* communitate. *Pis* ergo oscis ακλιτος.

11. DEIVAID. DOLVD. MALVD. SVAE. PIS. CONTRVD. EX. E. LiG. PEPACVST. AVTI. COMONO. III.*pid*. Si *caeciderit dolo malo in sui pagi detrimentum*, *ex ea lege paciscitor*, *uti communitati nihil quidquam*. Consentiunt haec cum dictis in v. antecedenti. In aere pro *dolud* videtur esse *docud*.

12. *Mol*.TO. ESTVD. N.Θ Θ. IN.SVAE.PIS. IONC. FORTIS. MEDDIS. MOLTAVM. HEREST. AMPFRT. MISTR.

IONC. Franchinius habet pro *ioc*, et *reum* interpretatur. Habe pro *hunc*.

MOLTAVM. *Multandum*. Particip. pass. futuri temp. Sed forte melius pr. perf. *multatum*.

HEREST. Recte Franchinius: *censet*, *decernit*.

AMPFRT. non *ampert*, ut legit Franchinius, et reddit: *comperto*, sive *aperto*. Verbum est, sonatque *aufert*, in quam significationem occurrit etiam in Cippo *Osco-Abellano*.

MISTR. Franchinius legit *Mistreis*. At *eis*, *in*, seiuncta est a voce integra *Mistr*. Quid porro ille? *Mistreis*, i. e. *facinora*, a graeco μυσαρος, *scelus*. Facinus facetum! Nec facere aliter poterat vir doctus, qui non bene aeris constituto argumento, cuncta ieiune transigit gratuita literarum permutatione, fortuitaque vocum affinitate. Est autem *Mistr* sine dubio *minister*, de *lictorum*, *apparitorumve* genere.

13. EITVAS. MOLTAS. MOLTAVM. LICITVD. SVAE. PIS. PRVMEDDIX. VD. ALTREI. CASTRO. *praef*. VCI. EITVAS. *In vitulas damnas, multare liceat sui pagi Promeddici. Nec alii Castro praefecti vitulas*. De *multa pecuaria*

paganis inflicta agitur a *Promeddice*, in quam nullum ius *Castri praepositis* sive minuendi, sive remittendi, quod fieri in minimis solet.

Litera haec est: *Multator* num. ꝏ. ꝏ. *in suo pago. Hunc fortiter Meddix multatum damnet. Vi tollat Apparitor.* Locus mihi difficilis, antecedentium defectu. De *multa* igitur *pecuniaria*, eaque *maxima* agitur, sed quo casu infligenda, ignorare cogimur ex hoc, quod aeri deest pars dexterior, in qua legis capita tangebantur, in quae foret peccatum. Hinc probabile fit, etiam in pagis sic peccari potuisse in legem Claudianam, ut peccans multari mereretur num. 2000; quam vel confirmari oporteret a *Meddice castrensi*, vel ab eodem contra *Promeddicem* procedendum, qui eam infligens *formula* excidisset. Paucis: *ionc*, *hunc*, possis tum ad *multatum* referre, cum ad *multantem*.

VD. Franchinio: *limitum* a *graeco* οὐδὸν. Quid non hac ariolandi methodo extundas e generis huius τοῖς ἐπιγράμμασι? Est *haud*, *non*, *nec*.

PRAEFVCVS. Franchinius: *i. e. profugus.* Est *Praefectus* a *praeficiendo.*

14. ZICOLOM. DICVST. IZIC. COMONONI. HIPID. NE. DONOP. TOVTAD. PETIRVDERT. VRVST. SIPVS. PERVM. DOLOM.

Sicilicum adiudicet magnae huic universitati. Nec sibi dono haec remitti petat, ne adrepat officiosus per dolum.

ZICOLOM. *Sicilicus*, unciae pars quarta, assis quadragesima octava. Dictus et *nesimos*, qui addendus *multis* paganicis, solvendusque honoris ergo *Comononi*, idest *Castri* maiori universitati.

PETIRVDERT. Franchinio: *petirupert*, contra aeris fidem. Reddit autem: *corruperit.* Est a *petendo* sine controversia, quasi *petirudero*, *instanter peto.*

VRVST. Franchinio: *usus*. Nulli prorsus usui! Est ab Enniano *uruo* in significationem *provolvendi sese ad pedes* alicuius:

Circum sese VRVAT *ad pedes* (1).

15. MALLOM. IN. TRVTVM. ZICO. TOVTO. PEREMVST. PETIROPERT. NEIP. MAIS. POMTIS. COM. PREIVATVD. ACTVD. Sensus antecedentium hic: Si per dolum *malum in trutinando lance hac emptum fuerit*, *instet*, *ne ultra ponderibus ex privato arbitrio* abutatur. De *ponderum* itaque agitur *iniquitate.*

IN. TRVTVM. Franchinius: *in tributum.* Plus uno hactenus homo humanitati tribuit, plura dehinc tributurus. Plauti *in trutum* redditur *infaustum* ab

(1) Ex Androm. pag. 267.

interpretibus. In re nostra mihi certum est, a *trutina* esse repetendum.

ZICO. Franchinio: *sicilico*. At *sicilicus* in aere est *zicolos*. Graecis ζυγος est *iugum*, et *lanx*, vel *statera*. Vulgo: *zico zico* est hinc inde fluctuare, ad lancis instar, sive tollenonis.

PEREMVST. Franchinio: *prohibeat*. Praeter. est παθητικον subiunct. modi. Thema *peremo*, compositum ex *emo*, et praep. *per*.

MAIS. Franchinio *plus*. Particula est mere expletiva, unde nostrum *mai*.

POMTIS. Franchinio: *possit*. Vt desint caetera, desinentia abnuit. Ergo: *Pomtis=pondis*.

§. VII.

IN RELIQVAS AERIS LVCANI LINEAS.

16. PRVTER. PAM. MEDICAT. INOM. DIDIST. IN. PONDOS. MOXX. COM. PREIVATVD. VRVST. EIS. VCEN. ZICVLVD.

Primus primo Meddix pronuntiet in eum. Dividatur in libras multa XX. Cum privato instet pro vigesimo sicilico.

PRVTER. PAM. Franchinio: *praeter quam*. At V oscis est O, non AE. Ergo *pruter*, προτερος, *prior*.

PAM. Contracte ex PAAM, de qua alibi abunde.

MEDICAT. Franchinius: *Medicam, quae est herba trium foliorum, semper virens, in equorum pabulis laudatissima.* Alia herba opus est Franchiniano morbo, a *medica.* Desinentia in *at* monere potuerat, esse verbum *medico, is*, vel *as*; de quo satis supra.

INOM. Franchinio: *mensuram.* Est pronomen in accusandi casum, *in eum.*

DIDIST. Franchinio: *dederit.* Est *dividitor* ab inusitato *dido*, unde *divido.*

PONDOS. MOXX. Franchinius: *in numerum modiorum* XX. Verum enimvero de *multa* agitur, quae facile *pecuaria*, et in partes viginti tribuenda, ut suus pro parte unaquaque *sicilicus* Castro contingeret.

VCEN. Franchinio: *usus.* Sensus postulat, ut sit *vicen*, idest, *vicensimus.* Et meminisse eum oportuerat, ab se paullo ante *urust* redditum quoque *usus.*

17. ZICOLOM. XXX. NESIMVM. COMONOM. NIHIP. SVAE. PIS. CONTRVD. EXEIC. FEFACVST. IONC. SVAE. PIS. Solvat *silicilicum tricesimum fatalem communem. Ne quid in pagi sui detrimentum exhinc moliatur, hunc sui pagi* Promeddix de pago deiiciat. Sic enim ex antehabitis videtur concludi sententia posse.

NESIMVM. Silet Franchinius. NESO tantum ab eo memoratur, quod illi est, *neque*. Sed ubinam in aere vox eiusmodi stabuletur, nondum mihi compertum. *Nesimos* est ab αισιμος, *fatalis*. *Sicilicus* itaque *nesimus* est quarta unciae pars, veluti *fato*, vel *sorte* debita *Castro*, pagi utriusque principi.

18. HEREST. MEDDIS. MOLTAVM. LICITVD. AMPFRT. MISTR. EIS. ALTRIS. EITVAS. LICITVD. PON. CENSTVR. *Decernat*, *licet*, *multandum Meddix. Publica fultus auctoritate*, *per vim tollat minister. In alias vitulas* multet, licet, *ponderum exactor.* Ergo si in legem macellariam, praeter caetera, peccatum quoque foret in ponderum aequitate, et *multis* alio de nomine inflictis licebat *ponderum exactori* suam adiicere, iure suo. Locus insinuare videtur, *ponderum exactorem*, et unum pro Castro, suisque pagis extitisse, et *Castro* insedisse.

PON. Franchinio est *deinceps*, *pone*, adeoque *censtur* illi est *censor*. Sed locus est de *multis* a Meddice decernendis; nec *censori multandi* ius erat, sed poenis tantum censoriis *ad ignominiam* in *censendo* uti. Ergo *Pon. censtur* est *ponderum censor*, sive *exactor*.

19. SANSAE. TAVTAM. CENSAZET. PIS. CEVS. BANTINS. FVST. CENSAMVR. ESVF.

EIN. EITVAM. POIZAD. LICV.. *Sansae hanc* (multam) *statuet pagus*, *etsi Bantinus fuerit. Damnas sit unam vitulam post haec*, *licitum esto*. Sententia non satis expedita defectu antecedentium, et consequentium. Fortasse si quis Bantinus Sansae in legem macellariam peccasset, *multa* in Sansae beneficium cederet, quae tamen *vitulam unam* minime praetergrederetur. Et haec trepidanter, non δογματικῶς, quod Franchinii ius.

CEVS. Franchinio: *civis*. At in cippo *Osco-abellano* cives sunt KIIVI.

CENSAZET, et CENSAMVR a *censendo*. Hoc posterius nominis prae se fert potestatem, *damnas*, *taxandus*.

ESVF. Franchinio: *praetermissus*, praesidiumque petit ab Hebraicis fontibus, quibus hic nil opus *equis suis*. Est imper. mod. *esto* a futuro *εσομαι*.

EIN. *Ad*, *in*.

POIZAD. *Poenam* Franchinio. Tolle D paragogicum. *Poiza=Post haec*.

20. AISC. CENSTVR. CENSAVM. ANGET. VZET. AVT. SVAE. PIS. CENSTOMEN. NEI. CEBNVST. DOLVD. MALVD. *Hisce Censor inter censendum notis censoriis agitabit*, *aut pagi sui pro-censor*, *nisi dolum malum eluerit*, idest purgaverit se a *dolo malo*.

ANGET. VZET. Futur. verbi *angetuzo*, *agito*, *perstringo*. Desinentia *uzet* puncto a themate discreta, quod apud oscos sollemne. Franchinius habet pro duplici voce, et *uzet* interpretatur *publice* a graeco οσιος. Sic *prufatt.uset* est *probavit*.

CENSTOMEN. In duo dispescit Franchinius, iure suo, et TOMEN habet pro *portione*. Est *parvus censor*, sive *pagi pro-censor*. Cave, vocem hibridam taxes, ex Grammaticorum placito. Idem namque fundus graecis, oscis, latinis; adeoque harum, si quando coalescunt, nulla *de nomine exit*, ut Icti loquuntur.

CEBNVST. Franchinio: *eveniat*. Est ab oscorum *cebnuo*, quod latinis *abnuo*, *renuo*, *repello*. Et hactenus de Ingenuorum poenis, qui in legem macellariam peccassent. Quae sequuntur, *servorum* propriae.

21. IN. EIZEIC. VINCTER. ESVF. COMENEI. LAMATIR. PR.*u*.MEDIXVD. TOVTAD. PRAESENTID. PERVM. DOLVM.

Illic vinctus esto. Custodiatur caute. Promeddix iudicet haec de praesenti per dolum malum patrata. Paganica, et famularis quaestio est, adeoque a *Promeddice* definienda *de praesenti*. Hoc enim sonant verba illa: *toutad praesentid*, i. est *touta de praesenti*.

VINCTER. Franchinius: ***exprimi***, Noniumque citat, cui ***vincere*** est ***exprimere***. Atqui ***vincter*** est a ***vinciendo***, non a ***vincendo***. ***Vincter*** praeterea ***nominis*** vim habet, non verbi.

COMENEI. LAMATIR. Quid Franchinio in mentem venit legendi: COMEN, ***cominus***; ELIAM ***illac***; ATIR, ***accedat?*** Duae omnino voces puncto inter se discretae. Est autem ***comenei*** verbum, quasi ***commaneto***, ***maneat***. ***Lamatir*** pro adverbio acceperim. Λαμα Dorice, unde λημμα, seu λημα, quod Geometris ***firma*** dicendorum ***positio***.

PRVMEDDIXVD. Vna item vox, non duplex, ut Franchinius sumit. Est imper. mod. ut ***factud***. Thema: ***prumeddico***, ***is=pro meddice iudico***, ***decerno***.

22. MALLOM. IN. AMIRICATVD. ALLO. FAMELO. IN. EI. SIVOM. PAEIZEIS. FVST. PAEANCENSTO. FVST. Si diribitor per dolum ***malum in diribendo fraudulenter alteri famulo ibidem simul ludificatus fuerit***, ***stigmate omnino notetur***.

AMIRICATVD. Franchinius: ***officium praesidis Senatus***. De ***Lanio*** agitur, seu de carnium venaliciarum sectore. Est igitur ***amiricatus*** fraudulenta carnium partitio ἀπο τοῦ αμε ιρειν, quod est: *ex parte fraudare*.

FAMELO. Oscis *famel* erat servus a *mensa*,

vel *culina*, ita dictus a *fame*, cui originationi videtur favere prima syllaba utrimque correpta.

PAEIZEIS. FVST. Male Franchinius: *paepcizeis*, ut inde *paginas*, nescio quas, sibi *pangat*. Παιζειν graecis est: *ludere*, *illudere*. Hinc Italis: *pazzo*, *impazzire*, *impazzare*.

PAEANCESTO. Franchinio: *perscriptum*. Vox mihi composita videtur ex παν, et κεντροῦ. Κεντρος est *pungulus*, et κεστος, acu *pictus*, quae perfugarum in primis nota ignominiosa. Hinc *paeancesto fust* habeo pro verbo uno, cuius terminatio a themate interpunctione seiuncta est.

23. TOVTICO. ESTVD.—PR. SVAE. PRAEFVCVS. POD. POST. EX-AC. BANSAE. FVST. SVAE. PIS. OPIZOIS. COM... Nihil hic certum, aut probabile, datum expromere. Litera haec est: *Summo esto*. Hic finis prioris sententiae. Quae sequuntur: *Pr.* (forte *proteros*) *sui* (pagi) *praefectus*. *Deinde continuo Bansae esto*, *sui pagi curis com.*munibus. Et Davum me, non Oedipum profiteor.

OPIZOIS. Franchinio est: *ob ea*, *propterea*. Ατοπας omnino. Οπιζομαι est: *curo*, *studeo*.

24. ATRVD.—ACVM. HEREST. AVTI. PRVMEDICATVD. MANIMASEPVM. EIZAZVNC. EGMAZVM. *Atro—Ac eum tollat. Et Promed-*

dix imperato, manibus colligatis, eumdem verberibus caedi.

ACVM. Franchinio est ἧκον, redditque *sponte.* Nihil ἧκον magis inaudio! Est *ac*, vel *ac eum.*

MANIMASEPVM. Mira Franchinii dexteritas! Vocem in duo solvit, *manimas*, et *epum*, habetque primum pro *maimas*, *maia*, alterum pro *equum*, seu *equorum*. Ergo: *maia equorum.* Quid hoc monstri est? Nimirum

Gaudet equis, et aprici gramine campi.

At equi uno-ne mense Maio pascuis inducendi? Et equorum dumtaxat haec propria pascua? At Bantini saltus, collesque Sansae minuto magis gregi, quam equis pascendis, opportuniores. *Manimasepum* est: *manibus septum*, italice *ammanettato.*

EGMAZVM. Mirus et in hoc Franchinius. Reddit: *manducare.* At vocis terminatio *adiectivum* olet, aut *participium*. Est ab ἱμάσσειν, *loris caedere*, vel a Ionico μαστεῶ, *flagello*. Hinc vernacula *mazze*, *mazzate*, *ammazzare*. Vbinam porro in aere lucano vox EGMO, quam ille pro *eippo* usurpat?

25. PAS. EX. AISCEN. LIGIS. SCRIFTAS. SET. NE. PHIM. PRVHIPID. MAIS. ZICOLOIS. X. NESIMOIS. SVAE. PIS. CONTRVD. *Quisquis ex hisce legeis scriptas* (multas). *Sed ne quid*

urgeat ultra sililicos decem nesimos, *in pagi sui praeiudicium*. Recte. Cum enim *multae paganicae* in *pagi* cederent utilitatem, si graviores imponerentur ultra legis praescriptum, quod FORMVLA EXCIDERE dicebatur, praeiudicium multatis fieret, quibus maior *sicilicorum* numerus solvendus foret, *Castro* debitus. Prorsus haec Claudii ingenio consentanea, de quo Suetonius (1): *iis*, *qui apud privatos iudices plus petendo* FORMVLA EXCIDISSENT, *restituit actiones*; *et in maiore fraude convictos*, *legitimam poenam supergressus*, *ad* BESTIAS *condemnavit*. Adeo Claudius *iuris formularum* tenacissimus!

LIGIS. Pro *legeis*, in accusandi casum. *Legis* ergo ετυμον a *ligando* magis, vel *obligando*, quam a *legendo*, deductum.

SET. Pro *sed*, nec apud latinos rarum.

NE. PHIM. Franchinio: *nemo*. Non repugno.

PRVHIPIT. Franchinius: *porro habeat*. Veto. *Pruhipio*, *pruhibio*, est romanorum *prohibeo*, idque sententia omnino exigit.

26. EXDIC. PRVHIPVST. MOLTO. E†ANIO. ESTVD. N. ∞. IN. SVAE. PIS. IONC. MEDDIS. MOLTAVM. HEREST. LICITVD. *Edicto multa combustoria*. *Esto* N. M. *in proprio pago*,

(1) In Claud Cap. XIV.

hunc Meddix multandum decernat, *licet*. De paganicis magistratibus agitur, qui in *multarum* taxatione *formula* exciderint, quosque idcirco multandi ius esto *Meddici Castrensi*.

EXDIC. *Edicto*. Vox breviata. Recte Franchinius.F. mel. *exdic*=εκ δικης=*in poenam*.

ETHANIO. Franchinio: *epsanio*, *ipsi*. Mihi est *ethanio*, quod ┼ habeo pro Claudiano *th*. Quod si verum sit, constat iam de Claudii altero* charactere, qui hactenus incognitus. Constaret, nec dubito, de tertio etiam, si integrum constaret aes lucanum. Quandoquidem, uti ex Tacito adnotatum, Claudiani characteres plebiscitis praesertim, quo perennarent, per *Fora* inserebantur, aere fixo. Et valde vero simile, tertium hunc characterem, qui nunc latet, fuisse ⊥. *Multam* porro hanc *ethaniam* dictam puto ab αιθος, *ardens*, *ambustus*. Vernacule: *scottante*. ┼

27. TREIS. AET. EIS. EITVAS. MOLTAS. MOLTAVM. LICITVD.—PR. CENSTVR. BANSAE. *Tres et in vitulas damnas*, *multandum*, *ius esto*. Hic sententia antecedens concluditur. Principium alterius est: *Procensor Bansae*.

AET. EIS. Non *aeteis*, ut Franchinius, quod *reis* interpretatur. Est autem *aet*, multato capite, *et*; et *eis*, *in*, praep. notissima.

28. ID. NEI. SVAE. (*pis*) FVST. NEP. CEN-

STVR. FVID. NEI. SVAE. PR. FVST. IN. SVAE. PIS. PR. SVAE. Fortasse: ***idem nec sui pagi sit***, ***nec*** in posterum ***censor fiat. Nec suo pago praefuerit.*** Nec ultra progredi pauca, quae interrupta superant, sinunt; ex quibus tamen haec certa colligi datum, si aeris utraque plebiscita inter se conferamus. Pro lege macellaria idem in fine additum, quod et in plebiscito de ***re vestiaria.*** Vt enim in huius observantiam iurare cogebantur, quique in ***imperio*** essent, aut ***magistratu***, quique in posterum utrumvis forent subituri; ita municipales sive ***magistratus***, sive ***dignitates***, in Claudianam hanc legem, lege ipsa, iurare adigebantur.

At Franchinius, rerum nostrarum aptior aestimator, in fine aeris qua qua versus luxato, ac hiante, longe alia a nobis pervidit, quae non vacat singula persequi. Vnum tamen praeterire minime possumus, quod est huiusmodi. Ad v. 28. et 29. haec habentur.

IZICAMPRVFID. FACVS. ESTVD. IDIC. MEDICIM. EIZVC.

Quid ad haec ille? ***Si quis specialem providentiam***, ***lens esto specialibus magistratibus ibi.*** Putares de ***lentis edulio*** agi, quo Esavus Iacobo vendidit ***primogenita sua.*** Franchinio nempe FACVS est ***lens.*** Cur non ***fagus?*** At len-

tem *fago* praelatam forte voluit, ne parum civiliter *fagos* ad vescendum obiiceret *specialibus* suis *magistratibus*. Is modo rerum nostrarum de caelo tandem demissus interpres, atque aestimator? FACVS ESTVD est sine cunctatione *factus esto*, quod norunt omnes, quos osci, volscique sermonis ignaros ille conqueritur. Qui demum omnes agmine facto, monitorem suum paucis admonent: *agrum*, in quo versamur, etsi nemini hactenus *assignatum*, non tamen habendum *pro derelicto*, ut liceat cuivis *com preivatud actud* (*ex privato arbitrio*) in illum irrumpere, et quodvis in eo temere audere.

§. VIII.

DICTORVM CONSECTARIA. OSCORVM ALPHABETVM.

Haec nunc omnia oscis, graecis, romanis communia, uno aurium tinnitu similia, casuque mere fortuito, nullam prae se ferunt dialectorum cognationem? Quin ut illorum vim, potestatemque *a priori*, ut quibusdam est propositum, olfaciamus, Semitica, nescio quae, aut Praeadamitica etiam, si Superis placet, adeunda, expilandaque lexica sunt? Atqui obsoletarum dialectorum fontes, quo propiores, eo tutiores, certioresque ha-

bendi. Eruditionem minime aspernamur, verique nominis eruditos ex animo complectimur. Cavenda tamen luxuriantis eruditionis ἡ κακοηθεια, quae novitatis cupidinem gignit, non sine aliorum fastidio, et contemptu, qui humane se sapere, profitentur. Sero, et caute, si quando est opus, sollicitandae in his plagae orientales sunt, ut ea in usum nostrum comparentur, quae intus domi habemus. Nimius in hoc Mazochius, cui nil fere, nisi ab oriente petitum, sapit. Sanius Martorellius, cui εκ τῆς Ελλαδος παν το φᾶς. Delendum tamen το παν, quod rem nostram intra fines concludit sat, pro rei necessitate, arctos. Minus inter se distant osca, romana, graeca dialectus, quam vernacula nostra a communi italorum lingua. Quam si ignoraret ex alienis advena finibus, nec esset e nostratibus, qui eidem viam praemonstraret, numquid ad Indos, Aethiopesve, quo hanc addisceret, amandaremus, et non ad gentes magis nobis cognatas, et adfiniores? Et de his satis hactenus.

Abs amicis rogatus saepiuscule, ut in sui usum, pro rebus nostris, oscum ederem alphabetum, data hic occasione, eorum votis eo libentius faciam satis, quod in rem hanc symbolam nostram peculiarem erimus collaturi. Addenda siquidem alphabeto huic litera adspirata 𐌇, et signa per S inversam repraesentatum, de quo posteriori

haesitanter ante, nunc fidentius statuo, ex aere lucano praecipue, aliud fuisse a Z.

(1)	𐌀· 𐌀	. . . . . . A
	𐌁	. . . . . . B
(2)	𐌊 𐌊	. . . . . . K.C.G.Q
	𐌃	. . . . . . D
	𐌄	. . . . . . E
	8	. . . . . . F.PH
	𐌇	. . . . . . H
	𐌉 𐌝	 I
	𐌋	 L
	𐌌	. . . . . . M.
	𐌍	. . . . . . N
(3)	V	. . . . . . V pro O.
	Γ Π	. . . . . . P
	𐌓 𐌓	. . . . . . R
	𐌔	. . . . . . S
	T	. . . . . . T
	𐌞	. . . . . . *Ve.*
	𐌆	. . . . . . Z

---

(1) Quam parum haec abest abs Hebraeorum *aleph* א!

(2) Sic: *Veinikiiz* = *Vinicius*. *Tankinos* = *Tanginos*. *Kuaisstur* = *Quaistur*, *Quaestor*.

(3) Oscis ου medium videtur tenuisse sonum inter O, et V, quod graecis ου.